



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Domus tertiae Probatis Gandaui. ibid.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

assignatis moderatoribus tradere gubernandos, vt si quod nasceretur dubium, si quid se offerret difficile, sciret vnuquisque confessim ad quem è propinquo referenda res esset; quæ si tantiforet ut grauiori egeret consilio eam ipse ad Vice-Prouinciam deferreret. Eoque præterea hæc regionum Superiorumq; distinctio spectabat ut certius accuratiusq; Exercitia annua, Renouationeque votorum, & cetera quæ ad Disciplinam pertinent peragerentur, dum non vni vt olim longe posito ista exigendi cura committerur, sed vicinum haberet vnuquisque Superiori cui rationem reddere teneretur, & apud quem, vt plurimum, (conuentâ habitatione ad tempus, solitisque negotijs intermissis) diuertebat. Et erant Anno vigesimo in tractu Londinensi nouendecim; in Suffolciensi octo; Octo etiam in Hantonensi; In Staffordiensi decem; in Lancastrensi duodecim; totidem in Leicestriensi; in Lincolniensi sex; septem in Eboracensi; in Northantonensi vndecim; in Vigorniensi quinque; in Wallia vndecim; In vniuersum per Angliam (pari Socij centum & nouem; quem numerum æquabant ij qui per Belgum diueras incolebant vrbes, vt Leodium, vt Louanium, Audomarum, Watenes; hoc discrimine quod in Anglia vix quisquam esset Sacerdotio non initatus, In Belgio plures ad Sacerdotiū parabantur, plures ad domestica ministeria alebantur. Crelcente deinde numero Sociorum immutata est in aliquibus hæc tractuum dispositio, & Residentiae in Collegia commutatae sunt; idem tamen perseverauit finis fructuque, eoq; maior quo propius ad communem Societatis morem cuncta reuocabantur. Ad quem morem Domus 3,  
Hoc etiam anno inchoata est domus tertiae Probationis Gandavii, benc-  
ficio Illustrissimæ Annae Comitissæ de Arondel, viduæ Philippi Comitis, Probatio-  
nis Gan-  
davii,  
quem libro quinto diximus capitî damnatum in Arce Londinensi pè lan-  
eteque diem obijste. Hæc Roberti Sotwelli Martyris vla consilijs à captiuitate  
Mariti mentem Christo seruans liberam, corpusq; intactum, totam sè tra-  
didit pietatis officijs, qua animabus Sacerdotum operâ, quâ corporibus vario  
opportunoq; subsidio succurrendo; non enim sibi aut familiæ suæ quan-  
tumuis amplæ fouebat Sacerdotes, sed solatio vicinorum; & multiplici præ-  
terea vestium, medicamentorum, pecuniarum largitione recreabat paupe-  
riores, carceribus clausos releuabat, exules solabatur, in se parcior quoq; alijs  
liberalius subueniret; Tempus multa à prece sepositum pingendis plerum-  
que acu ad Altaris ornatum vestibus insuniebat; quo in genere missus est ad  
Mutium Generalem magnificus apparatus quem Roma miraretur. Etsi au-  
tem omnium ordinum Sacerdotes ac Religiosos homines Christiana cari-  
tate complectebatur & subleuabat, præcipuo tamen honore colebat So-  
cietatem, ut quæ à VVestono, Sotwello alijsq; magnis in ea viris potissi-  
mum fuerit ad Dei cultum erudita, & annis plusquam quadraginta ad  
exitum usque informata: Qui honor & reverentia nè cum morte extin-  
gueretur, emptam Gandavii in Flandria domum donauit dotauitque, trans-  
ferendam cum opportunum fuerit in Angliam, & Caerleoni ciuitate sua, in

Kkk 2

W est



1621. Westmorlandia collocandam, si ita Generali videretur; quemadmodum te-  
stantur duobus post annis scriptæ Mutij literæ vigesimonoно Nouembris  
Anno seculi vigesimo secundo.

I I. Annum vigesimum primum *Blondus* Vice Provincialis egit  
fere integrum in Belgio, ad inspiciendas sibi tubectas domus intentus, & que  
colligendum. Ante quam ex Insula traiiceret, Audomari confecta res est quæ  
ad Sancti Patris *Ignatij* laudem & gloriam, atque eiudem ad clientes suos iu-  
uandos curam ac prouidentiam commendandam non parum momenti alla-  
tura est.

*Blondus in Belgium transmittit.* Nupserat viro equestris ordinis hæretico filia Pseudo-Anti-

*Dæmon malus eis & us ope S. Ignatij.* stitis Vigorniensis: Hæc tuis inuitis fidem complexa Catholicam, quod ea de  
causa essent hi permolesti, transfretauit. Non longo post interuallo visa est  
à malo dæmone obsideri: Indicis certioribus cum facta esset per Exorcis-

mos res manifesta (nam quæ latine legebantur aut præcipiebantur intelli-  
gebat, & latine quandoque, licet illiterata, respondebat, & ignotos compel-  
labat de nomine, & absentia nunciabat, & turgentibus membris ultro ci-  
roque sub aspergum oculorum malus genius commecabat) expressa est tandem

ista confessio: "Duos infidèr fæminam demones, unum præcipuum cui ab  
adusta nigra spina nomen, alium quasi subseruentem, qui Terminus vocare-  
tur, Misum esse ex Anglia ut vel reduceret vel necaret; eidem secum nau-  
commissas fuisse literas quæ suaderent redditum. Roganti literarum argumen-  
tum, post multam relucrationem duobus verbis respondsum est, Amor & di-  
uitiae. Quid factum de literis? in mari perierunt; quo pacto? Latori, dum cas-

versat manu, exciderunt, impetrante *Ignatio*, ne ego eis vterer ad suadendum.  
Rogatus quis intrasset in fæminam? sublato cachinno, Ego, inquit, illam de-  
cepi, fingens me esse Angelum lucis. Tertio enim Februarij die, dum quinta

matutina è lecto surgeret, obtuli me in alba ueste, forma inuenili, & virgâ  
albâ quam tenebam manu tangens caput hoc modo sum illam allocutus:  
Compone te rursus ad quietem; longa tibi restat via; Patris tui dies ad finem

vergunt, & tu debes illum conuertere antequam moriatur. Illa obdormiuit;  
& permisit Deus ut illam intrarem, Nihil tamen illi mali feci ante dominica-

cam sequentem, quando sumpta communione statuit non redire: tunc et-  
enim si potuisssem voluisse illam occidere. ) Longum esset singula percen-  
sere quæ vel acta vel dicta toto mense sunt, siue ad extorquendam verita-  
tem siue ad sedendas molestias quas inferebat. Ut intellectum est Sanctum

*Ignatium* esse per quem erat impetranda liberatio, quanquam callidus fer-  
pens multa de loco, de modo, de tempore ad fallendos astantes simulabat,  
petitæ sunt ex Collegio Patrum Belgarum reliquiæ Sancti Patris, quas cum

(quibusdam comitantibus) ferret Pater Ioannes Baptista Vendelinus, clama-  
bat in fælix, Iam veniunt; Cladite, claudite ianuas; oblerate ne ingredian-  
tur, & mille blasphemias vomebat in Sanctum; & ad circumstantes, Non.

curo vos; fecisti quod potuisti; mihi peius esse non potest; non discedam;

Ego